

INDEX.

§ IV.	<i>Irregularitas ex defectu libertatis.</i>	395
§ V.	<i>Irregularitas ex defectu lenitatis.</i>	ib.
§ VI.	<i>Irregularitas ex crimine.</i>	396
CAPUT VIGESIMUMQUINTUM.	<i>De ascetis, Monachis, et regularibus.</i>	398
§ I.	<i>Monachi Antiquitus in censu laicorum habiti.</i>	403
§ II.	<i>Regule ad vitam Monasticam pertinentes.</i>	404
§ III.	<i>De abbatibus, aliisque Monachorum præpositis.</i>	407
§ IV.	<i>Monachi civitatis Episcopo subjecti.</i>	408
§ V.	<i>De Sanctimonialibus.</i>	411
ADNOTATIONES.		455

INSTITUTIONES

JURIS CANONICI.

---

INSTITUTIONES CANONICÆ

EX OPERIBUS

SANIORIS DOCTRINA DOCTORUM EXCERPTA

et quampluribus adnotationibus  
locupletatae

A CLEMENTE MUNGUÍA,

ECCLESIAE MICHOACANENSIS EPISCOPO,

CONFIRMATO

AD USUM SEMINARII TRIDENTINI MORELIENSIS.

EDITIO PRIMA  
in duo volumina distributa.



MEXICO.

Ex typographia Vocis Religionis.

M.DCCC.LI.

INSTITUTIONES CANONICAE

EX QUINTIS

admodum apud quinque de  
tempore etiam

EDITIONIS MICHIGANENSIS BIBLIOTECÆ

QUINTAM

AD USUM SEMINARIORUM TRIDVENTINORUM ET CELERITATIS

ETIUSQ[UE]

studiorib[us] animalibus quoq[ue] in



EX LIBRIS LIBRARII VATICANICÆ HELLETONIÆ

1700.01

## TRACTATUS SECUNDUS.

### DE REBUS ECCLESIASTICIS.

Cognita Personarum Ecclesiasticarum qualitate, earumque characteribus, expositoque jure, quod cuique suæ conditionis intuitu convenit, ordinis ratio postulat, ut rerum Ecclesiasticarum tractationem adgrediamur; rerum scilicet, quæ ad æternam beatitudinem consequendam conducunt, et ad ipsius Ecclesiæ, ejusque ministrorum usum destinatae sunt. Porrò non eadem ratione *de Rebus Jus Canonico* agit, et *Civile*. Et sanè *Jus Civile* res spectat, prout ab hominibus adquiri, tueri, amittive possunt. At *Juri Canonico* tantum proposita est rerum divisio, atque administratio. Neque enim rerum Ecclesiasticarum dominium potest quis sibi vindicare, quæ sunt vota fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum.

#### CAPUT PRIMUM.

##### DE RERUM ECCLESIASTICARUM DIVISIONE.

I. Res Ecclesiasticae, scilicet, quas *Jus Canonicum* respicit, vel *Spirituales* sunt, vel *Temporales*. *Spirituales*, quæ animarum salutem, earumque æternam beatitudinem, veluti proprium *objectum* spectant. Porrò hæc, vel *corporea* quædam substantia, et sensibili, veluti obteguntur; uti Sacraenta, Sacrificia, Preces, Ritus sacri &c. vel *incorporeum* quid sunt, et insensibile; uti *Virtutes, multiplices Spiritus S. Donationes* &c. *Temporales*, quæ vel publico cultui divino peragendo, vel congrua Clericorum sustentationi sunt destinatae, uti *Decimæ, Oblationes, Reditus ex Beneficiis* &c.

II. Ad res *spirituales corporeas* (de *incorporeis* tractatio reservatum Theologis peculium) vulgo à Canonistis referuntur *Res Sacrae, Sanctæ, et Religiosæ*. At feliciss fortasse alii istas medium spirituales inter, et corporales ordinem constitutere contendunt, tanquam spiritualibus inferiores, et temporalibus potiores. Hujusmodi sunt vasa sacra, ædes sacræ, cœmeteria &c.

III. Num aliquid res *Sacras* inter, *Sanctas*, et *Religiosas* discriminis intersit juvat hic paucis inquirere. Ac primò Sacer à *memoria* deductum vult *Mazochius* in Additamentis ad *Vossium*: unde *sacra dicta sint*, quæ *memoria mandari* deceret. Non abs re igitur in jure nostro *Sacra* dicuntur, tum quæ divino cultui quoquo modo sunt destinata: uti *Ecclesiæ, Altaria, Sanctorum reliquie* &c. tum et strictiori notione, quæ solemní ritu per Episcopum Deo dicata sunt: uti *Calices, Altaria, Vasa sacrificii, ipsæmet sacraæ Ædes* &c. De his enim specialis quædam memoria servanda est, ne Deo semel dicata profanis usibus adhibeantur.

IV. *Sanctæ*: ex pluribus hujuscce vocabuli *etymologicis* illud potius videtur, ut sit à *Sancitum*; unde *sanctum idem sit*, ac *sancitum*: quod enim *sanctione* quædam subinxum est, etsi non sit Deo consecratum, *sanctum* tamen est, hoc est inviolabile. Sic leges dicuntur *sanctæ*, et *metonymice* mores *sancti*, quia divinis humanisque legibus adamussim convenient. Recte igitur in jure nostro *res sanctæ*

vocantur, quæ *sanctione*, seu legis prohibitione sunt inviolabiles. Et Ecclesiæ Sacrosanctæ nuncupantur, ejusmodi factæ, tum *religione*, tum *lege*: religione scilicet, quod sacris ritibus sint Deo consecratæ; lege autem, quod divinis, humanisque sanctionibus quisque illas violare vetetur.

V. Religiosa demum loca sunt, quæ saeco cuidam usui addicta, veluti à nobis semota relinquuntur deducto à verbo relinquō; quod plures doctioresque sequuntur. Antiquo Romanorum jure locus ille religiosus erat, quo mortuus esset illatus: sepultura enim veluti relinquebatur, dum humano eximebatur commercio: *Leg. VI. et VIII. Dig. de Relig. et sumit.* Porrò hæc Religio, quam apud Romanos privata constituebat auctoritas, apud Christianos non sine Ecclesiæ auctoritate inducit; *infer. in Tit. de Sepulturis.* Porrò inter res Sacras, Sanctas, et Religiosas principem locum habent Sacraenta, quæ satius *Res divinas* dixeris, quem Deum ipsum habeant auctorem.

## CAPUT SECUNDUM.

## DE SACRAMENTIS ECCLESIAE GENERATIM.

I. Plures de Sacramentis Ecclesiæ generatim quæstiones, uti de numero, essentia, necessitate, aliisque Theologi tractant. Ab his verò, aliisque ejusdem generis capitibus discutiendis se abstinent Canonistæ, sed quæ Sacri Canones, Synodalia Decreta, et Ritualia in Sacramentorum administratione servanda præcipiunt, hæc veluti propriam muneric sui partem exsequuntur; quam et nos hic pro instituti nostri ratione paucis absolvemus.

II. Et 1. quod ad necessitatem, Sacraenta Necessaria à *Voluntariis* distinguunt Canonistæ: Gratianus ad *Can. XXXIX. Caus. 1. Q. I.* Necessaria vocant, quæ sine *interitu salutis aeternæ* prætermitti nequeunt, neque contemni; ut Baptismus, Confirmation, Pœnitentia, Eucharistia, et Extrema Unctio; reliqua duo scilicet Ordo Sacer, et Matrimonium voluntaria sunt, quod sine *salutis dispendio* pro cuiusque arbitrio, recipi possunt, et non recipi; quum ea ad totius Ecclesiæ profectum, et utilitatem principaliter pertineant: Launcelottus *Instit. Lib. II. tit. 2. §. 2.* Atqui de Sacramentorum necessitate ab hoc Canonistarum haud parum Theologorum differt idioma: ut in tract. Theologico de *Sacramentis* observabitis; (\*\*) etsi benigni Casuistarum nonnulli de Confirmatione, et Extrema Unctione aliter sentiant. (\*)

III. De charactere plura Scholastici, vel nomen species vel essentiam. Non minus primus meminit Innocentius IV. in Decretali *Cap. 3. de Baptismo.* Hunc (\*\*) secuti Eugenius IV. in Decreto pro Armenis (\*) et Syn. Trid. *Sess. VII. Can IX.* definierunt per tria Sacraenta Baptismum, Confirmationem, Ordinem imprimi characterem, hoc est *signum aliquod spirituale, indeleibile, unde iterari non possunt.* At quantum ad *substantiam*, antiquissima exstant Ecclesiastica monumenta, Basilii præsertim, Ambrosii, et Augustini, ex quibus illud perspicuum est, Ecclesiam ab Apostolica traditione hujusmodi Dogma accepisse; cuius Dogmatis veluti consectarium est Apostolica itidem semper in Ecclesia servata praxis, scilicet tria illa Sacraenta valide collata nunquam iterandi. Quamobrem et in Decretalibus exstat *Tit. de Sacramentis non iterandis.*

IV. Verū perantiqua Ecclesiæ praxis fuit, ut quando de eorundem validitate prudens dubium subesset, de integro conferrentur: Conc. Carthag. *V. Can. VI. S. Leo Ep. ad Rust.* (\*\*) in *Can. CXIII. de Consecr. Dist. 4.* (\*) Indè tamen

non sequitur Sacraenta illa fuisse iterata: *Non enim*, ait Gregorius M. Lib. XVI. *Epist. 17. monstratur iteratum, quod non certis indicis ostenditur rite perfectum.* Sed in eo recens ab veteri Ecclesiæ disciplina discrepat, quod antiquitus sine ulla conditione absolute conferebantur, secutis verò temporibus formæ adposita conditio est. Hujus conditionatæ formulæ mentio prima occurrit in Capitularibus Regum Franc. *Lib. VI. Cap. 8.* ubi hæc habentur: *De quibus dubium est, utrum sint baptizati, an non, omnimeodis absque omni scrupulo baptizentur, his tamen verbis præmisses: Non te rebaptizo; sed si nondum baptizatus es, baptizo te in nomine &c.* Porrò hæc praxis neque in Galliis statim universè obtinuit: *ibid. Lib. VII. Cap. 391.* At verò ubique obtinere cepit, postquam eandem conditionatam formulam præscripsit Alexander III. *Cap. 2. de Baptismo,* qua Decretalia Collectioni Gregorianæ inserta, statim pro jure communi receptum est, ut nonnisi sub conditione Sacraenta illa de integro conferrentur, de quibus dubium foret, num valide recepta fuerint; (\*\*) id quod aperte docuit Synod. Dicces. Valent. an. 1255. *Const. de forma Baptismi*, et Tolet. an. 1323. *Cap. XV. Ubi de aliquo, an baptizatus sit verosimiliter hasitetur, hac forma baptizari jubetur:* *Si baptizatus es, non te baptizo; sed si baptizatus non es, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Videsis hujus *Lib. Tit. VI.* (\*) quod postmodum Ritualia, et præcipue Romanum præscriperunt. In Sacramentis autem, quæ pluribus constare videntur materiis, quas *partiales* Theologi vocant, hanc regulam tradit Innocentius III. *Cap. 1. de Sacramentis non iterandis:* *In talibus, inquit, non est aliquid iterandum, sed caute supendum, quod incerte fuerat prætermissum.*

V. Sacramentorum Minister ordinarius solus est Parochus in sua Parochia: Trident. *Sess. XXIII. Ref. Cap. 1.* qui et *proprius Sacerdos* respectu populi sibi commissi vocatur in *Cap.* Omnis utriusque sexus de *Pœnitent. et Remis.* Unde et antonomasticè Pastor dici consuevit: et in *II. Syn. Prov. Neap. Tit. III. Cap. 1.* decernitur: *Nemo audeat sine Ordinarii permisso extra necessitatem in aliena Parochia Sacraenta ministrare.* (\*\*) Perbellè ad rem Rodericus Tellius in Synod. Tarragon. an. 1291. *Quum Ecclesiastica Sacraenta sint administranda per proprium Sacerdotem juxta Canonica statuta, Sacri adprobatione Concilii duimus providendum, quod nullus Clericus præsumat quodcumque Sacramentum Ecclesiasticum alteri Parochiano aliquatenus ministrare absque licentia proprii Rectoris, seu Diaconis, vel Officialis ejusdem.* Addesis Collect. Jo. Teres *Lib. III. Tit. XVII. Cap. unic.* (\*)

VI. Porrò Sacramentorum Ministris plura observanda præcipiuntur: I. Ut piam, sanctamque vitam ducant, qui semper parati sint ad sancta sanctè tractanda: *Noverint Sacramentorum Ministri sibi necessariam esse cum primis conscientia puritatem, et morum sanctitatem, quanta decet Ministros Christi, et dispensatores Mysteriorum Dei:* Eadem Synod. Provinc. *ibid.* (\*\*) *Est enim æquissimum* (ait Synod. Valent. an. 1565. *Sess. II. Tit. II. Cap. 1.*) *atque etiam necessarium, magna animi puritate ea administrare, quæ admirabili Dei beneficio ad nostram omnium salutem sunt nobis collata.* (\*) 2. Ad Sacraenta administranda arcessiti statim currant, ne si quemquam sua incuria Sacramentorum præsidio destitui contingat, divina sese indignationi, et gravissimis Ordinarii penitenti obnoxios efficiant: *ibid.* (\*\*) Similia habet Syn. Hispal. an. 1512. *Cap. III. Ut omnes Parochi sint diligentes in administrando Sancta Sacraenta, et signanter Baptismum infantibus ad eritandum periculum, quod ex dilatione eriri posset; et exhortando, et requirendo suos Parochianos infirmos, ut confiteantur,*

*et Sanctum Sacramentum Eucharistiae recipient. (\*) 3. Ut fidelis populus, qua pars est reverentia, ad Sacraenta accedat, illorum vim, et usum pro suscipientium captu explicare non omittant: Synod. Trident. Sess. XXIV. Ref. cap. 7. et ead. Synod. Prov. ibid. (\*\*) et præf. Syn. Valent. ibidem Cap. 2. et Hispal. Cap. 1. (\*) 4. Ritus, quos in Sacramentorum administratione servandos Ecclesia jam recepit, non modo non omittant, neque contemnant, sed nec etiam in novos commutent: Synod. Trident. Sess. VII. Can. XIII. Qua de re I. Syn. Prov. Neap. Cap. 12. decernit: *In Sacramentorum administratione observetur R. Ecclesie ritus, et ad Cathedralem in ritibus se conforment inferiores Ecclesiae.* (\*\*) Unde Syn. Tolet. IV. Can. XXVI. alias XXV. jam olim decreverat, ut quando *Presbyteri in Parochiis ordinantur, libellum Officiale a Sacerdote suo accipiant, ut ad Ecclesias sibi deputatas instructi accedant, ne per ignorantiam etiam divinis Sacramentis offendant, ita ut quando ad Litanias, vel ad Concilium venerint rationem Episcopo suo reddant, qualiter susceptum officium celebrant, vel baptizant.* (\*) Idem præscribit S. Carolus Borromæus in I. Synod. Provinc. P. II. Const. 2.*

VII. Jam verò Ritus distinguuntur, et alii sunt Universales, alii dicuntur Particulares. Universales sunt, quos vel Scripturæ præscribit auctoritas, vel tota per Orbem frequentat Ecclesia. Particulares verò, qui non iidem ubique, sed in diversis Ecclesiis sunt diversi. De illis intelligendus est laudatus modo Trident. Canon: de postremis loquitur Aug. Epist. ad Casulanum his verbis: *Omnis pulchritudo filiæ Regis intrinsecus: illæ autem observationes, quæ varia celebrantur, in ejus teste intelliguntur: unde ibi dicitur; in fimbriis aureis circumamicta varietate. Utrosque autem complectitur superius memoratum I. Synod. Provinc. Neap. Decretum.*

VIII. Demum in ministrandis Sacramentis vitanda omnino est rei cuiusque temporalis exactio. Vetus Ecclesia libenter accipiebat oblationes illas, quas ad Ecclesiae Ministros, ac pauperes alendos fideles ipsi ultro exhibebant, nunquam verò in Sacramentorum administratione pretium, pecuniamve repetiit: *Neque enim pretio ulla res Dei constat:* (ait Tert. Apolog. 39.) *Etiam si quod arcæ genus est, non de honoraria summa quasi redemptæ Religionis congregatur.* Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, et si modo possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. (\*\*) Hinc Concil. Illiberit. Can. XLVIII. constituit, ut hi qui baptizantur... nummos in concham non mittant, ne Sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur; (\*) et Later. II. sub Innoc. II. Cap. 2. in hunc modum decernit: *Et neque pro pastu, vel sub obtentu alicujus consuetudinis ante, vel post, a quoquam aliquid exigatur; vel ipse (qui Sacramenta suscipit) dare præsumat, quoniam Simoniacum est.* Idipsum præscribunt Syn. Lateran. IV. sub Innocent. III. Can. LXIII. et quæ postea secutæ sunt Synodi. Unius verò I. Syn. Prov. Neap. Cap. 12. verba hic ponam: *Quum gratis communicanda neverimus, quæ gratis accepimus, et Apostolus cupiat magis mori, quam ut gloriam hanc quis evacuet, omni vigilantia providendum, ut omnis avaritia, vel Simoniaca labis suspicio de medio tollatur, prohibeateturque ne quid in Sacramentorum administratione directe, vel indirecte exigatur sub pœnis de jure statutis, aliquis arbitrio Ordinarii infligendis.* Eadem habet I. Synod. Prov. Mediol. Part. II. Constit. 1. (\*\*) Alterius etiam Synod. Tarragon. an. 1580 sub Cl. Antonio Augustino Constitutionem subjiciamus: *Quum Sacraenta Ecclesiae non solum sine Simoniæ labe, verum etiam sine suspicione, præbenda sint, caveant omnes, ne in eorum administratione quicquam exigant, aut etiam verbis, vel sig-*

*nis, directe, vel indirecte petant. Videsis Collect. Jo. Teres Lib. V. Tit. II. Cap. 2. Consonant plura Hispaniarum Concilia, tum prisca, tum recentiora præsertim Tolet. an. 1582. Act. III. Decret. 26. alias 27. (\*)*

X. Ceterum sicut vetitum non est fidelibus aliiquid eleemosynæ loco ministris offerre, ita ex altera parte licet ministris hujusmodi oblationes accipere: Concil. Lateran. III. Cap. XLII. de Simonia. At in hac oblatorum receptione, quævis vel tacita pactio vitanda est: id eluet potissimum, quum eadem promptitudine divitibus, ac pauperibus Sacraenta ministrentur: nam nulla, aut exigua ab istis, ab illis maxima, copiosaque speratur eleemosyna. Hinc ead. Neap. Synod. ibid. ante collationem nihil Sacerdos exigat, post vero laudabilis consuetudo servetur, ita tamen, ut non exigatur per spiritualium subtractionem: (\*\*) et præf. Synod. Hispal. Cap. XVII. decrevit, ut Sacerdotes, et Ministri Ecclesiae nullum pactum, vel conventionem faciant pro Missis, exequiis, et divinis Officiis; sed.... quod pro sustentatione Sacerdotum, qui celebrant talia Officia, servetur laudabilis consuetudo introducta a fidelibus circa eleemosynam, quæ eis dari solet. (\*)

X. Quod verò aliquando Parochi, congrua aliunde portione destituti, ex hujusmodi populi oblationibus vitam transigant; indecens visum non est sancire, vel taxare, quid Parochi in Sacramentorum administratione, aliquisque sacris functionibus conferendum sit. Mos iste, si minus in ceteris Sacramentis, in quibus haud levi populi offensioni foret, in Matrimonio tamen administrando potissimum invalluit. Neque enim oppido timendum est, ne ob jura solvi consueta, vel sancita, matrimonium differatur; neque hæc dilatio maximo semper est discrimini. Adhæc adnotat Espenius P. II. Tit. I. Cap. 3. n. 19. parochialia hujusmodi jura videri in locum decimarum personalium (quæ de jure communi debentur, et hodie passim in desuetudinem abierunt) successisse, ut sicuti laici eo titulo debebant de omni suo lucro decimas dare Sacerdotibus, ita vice illarum solvant jura illa vel viventes, dum matrimonium ineunt, vel post mortem dum sepeliuntur. (\*\*) Verum sicut non vetantur Parochi à jure vel consuetudine taxatas eleemosynas accipere, ita omnem alioqui ambitionis notam à se ablegare debent, ne si in augendis oblationum modulis ingeniosi sint, cupiditati, vel superstitioni potius, quam Religioni favere videantur. Unde Synod. Trid. Sess. XXV. Decret. de invocat. et venerat. Sanct. constituit, quod in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, et imaginum sacro usu.... omnis turpis quæstus eliminetur. Et Syn. Valent. Sess. IV. Tit. III. Cap. 8. alias 10. Sacri Tridentini Concilii decreto insistens præcipit sub excommunicationis pœna, ne in Tempis, etiam Monasteriis Reliquiae Sanctorum extra ipsum Altare educantur in locum ubi ad quæstum populo sint propositæ. Quod si aliqui etiam Regulares devotionis gratia eas ad infirmos detulerint, quod facere non debeant nisi vocati, nihil eis dare, neque ipsis ob id intuitu etiam eleemosynæ aliiquid recipere, sub eadem excommunicatio pœna non liceat. (\*)

## CAPUT TERTIUM.

## DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE.

## ARTICULUS I.

## DE MINISTRO BAPTISM.

I. (\*\*) Sacramentum Baptismi, quod in originalis maculæ expiationem institutum est, primum et fundamentum omnium novæ Legis Sacramentorum cons-